



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 50. Romani quidam necantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XV.
A. C. 1405.

§. L.

Romani quidam necantur.

Sexto Augusti anno 1405 mane Quæstores cum aliis quibusdam Romanis venerunt ad Papam, ut cum eo transfigerent. Diu collocuti, cum nihil statuisset, sub horam prandii e palatio exierunt cum nonnullis Cardinalibus. Adhuc erant in vico S. Petri, ac prope valetudinarium publicum S. Spiritus in Saxia; cum illic habitans Ludovicus Melioratus illos ab armatis fatellitibus suis capi, & per vim ad se adduci voluit. Undecim, & inter eos duo Quæstores comprehensi, omnes ascendere in quoddam conclave iussi, vestibus ibi suis spoliati, & occisi; cadavera in vicum projecta sunt: ubi ad vesperrum usque jacebant. Duodecimo cum reliquis capto superveniens Cardinalis quidam saluti fuit.

Sup. §. 49.
Th. Niem.
l. 2. c. 36.

Cum rumor de hac violentia per urbem percrebuisse; Quæstores fuga elapsi populum in Papam, & Curiam ejus concitabant pulsando sæpius æs campanum Capitolii: ut moris erat, cum Romani capefferent bellum contra hostes suos. Populus it turmatim in Clericos de curia: domos eorum diripit, vestes, quas gerunt, dilacerat: ipsos fustibus excipit: multos carceri mandat: Curia Romana tota trepidat.

§. LI.